

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De influxu dogmatis reformationum de sacra coena in
praxin fidei et pietatis, quanto et quali?**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Hochstetter, Gottfried Ulrich**

Tubingae, 1720

Thesis XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130755](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130755)

Theſis XI.

Non eſt error fundamentalis, quòd dicunt Reformati indignos corpus & ſanguinem Chriſti in S. Cœnâ *haud* accipere. Certè enim, quî fidem meam hoc deſtruere poſſit, ſi, qui dignè ſacramentum accipio, credam, indignos corpus & ſanguinem Domini in ſacrâ cœnâ *haud* accipere, planè comprehendi nequit. Jam & Reformati id ſaltem volunt, indignos corpus & ſanguinem Chriſti in S. Cœnâ *ore fidei* non accipere, id quod & nos lubentiſſimè largimur. Sed de hâc quidem quaſtione alibi ſententiam noſtram extulimus*.

* Confer hîc omninò inſtitutiones noſtras P. 3. Sect. 3. p. 759. 760.

Theſis XII.

Mirum eſt argumentum, quod alicubi legiſſe nos meminimus & quod pernicioſum utique dogmatis Reſinatorum de S. Cœnâ in praxin Chriſtianam influxum infert. „ *Fides, qua vincit mundum, credit, Jeſum Chriſtum ad nos venire per aquam*

aquam & sanguinem *. Et quidem notanter repetit
Apostolus, *non per aquam solummodò sed per aquam
et sanguinem* **. Quemadmodum ergò vera & na-
turalis aqua intelligitur, ita & verus & naturalis san-
guis Domini. Quisquis itaque non credit, verum
& naturalem sanguinem Christi esse in S. Cœnâ,
ejus fides mundum non vincit. ,, Etenim I. nullibi di-
citur, fidem illam mundum non vincere, quæ non
ajat, Christum venire ad nos per sanguinem in sacrâ
cœnâ. II. Quî apodicticè demonstrari possit, locum
hunc de sacrâ cœnâ intelligendum esse, non videmus.
III. Nemo Reformatus diffitetur, sanguinem Chri-
sti naturalem in S. Cœnâ spiritualiter bibi, natura-
liter verò eum ibi bibi & nostri omnes inficiantur.

* 1. Joh. V. 4. 5.

** COR. 6.

CORONIS.

Quod restat, ut probemus, praxin fidei & pietatis
haudquaquàm evanescere, etiamsi præsentiam
corporis & sanguinis Christi realem in S. Cœnâ ne-
gaveris, non est, quòd vel dicamus, sufficere, ut
cre-